Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Schmuckinitialen

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

gentibus domum israel sicut concutitur triticum in
cribro et non cadet lapillus super terram.
In gladio morientur omnes peccatores
populi mei qui dicunt. Non appropinquabit et ve-
niet super nos malum. In die illo susci-
tabo tabernaculum david quod cecidit.
et reedificabo aperturas murorum eius et
ea que corruerant instaurabo. Et reedifi-
cabo eum sicut in diebus antiquis. ut possi-
deant reliquias ydumee et omnes natio-
nes eo quod invocatum est nomen meum super eos.
dicit dominus faciens hec. Ecce dies veniunt
dicit dominus et comprehendet arator messorem et
calcator uve mittentem semen. Et stilla-
bunt montes dulcedinem et omnes colles
culti erunt. Et convertam captivitatem populi
mei israel et edificabunt civitates desertas
et habitabunt et plantabunt vineas et
bibent vinum earum et facient hortos et co-
medent fructus eorum. Et plantabo eos
super humum suam et non evellam eos ul-
tra de terra sua quam dedi eis dicit
dominus deus. Explicit Amos. Incipit prologus
Iacob patriarcha fratrem habuit Abdie prophete.
esau. qui ob ruborem corporis sui edom
hebrea lingua appellatus est quod latine
ne sanguineus dicitur. Is memoratum
fratrem suum qui israel nomen acceperat genu-
odio commotus est imitari conatus est.
Qua de causa omnes qui populum israel hoc
est filios patriarche iacob persecuti esau
odium imitati sunt edom appellati sunt.
Et quia populus israel de captivitate chalde-
orum per cyrum regem persarum nutu dei
revocatus merito ab alio regno gra-
viter afflictus atque oppressus est. ideo
hi regnum quod more esau persecutum populum
persecutum est per derivationem abdie pro-
phete increpatur. quod non dei indignatione
sed sua virtute populum superatum gloriabatur
de quo regno olim per david in psalmo
c.xxxvi. dictum est. Memorare domine fi-
liorum edom in die ierusalem. Nam reliqua
lectione comprehensa futurum in gentes
venturum ob causas lectione comprehensas
regnumque dei in populo israel significatur.
Hebrei hunc esse dicunt qui sub rege sa-
marie achab et impiissima iezabel pa-
vit centum prophetas in speluncis qui non curva-
verunt genu baal et de vii. milibus non
errantibus quos helias arguit ignorasse.
sepulchrum quoque eius usque hodie
cum mausoleo helisei prophete et baptiste
iohannis in sebaste veneratione
habetur. que olim samaria dicebatur. Hanc
herodes rex antipatri filius in honore
augusti cesaris greco nomine vocavit
sebasten id est augustam. Igitur qui centum
prophetas salvaverat accepit gratiam pro-
phetalem et de duce exercitus fit dux ec-
clesie. Tunc in samaria parvum gregem
paverat. nunc in toto orbe christi pa-
scit ecclesias. Et sicut stephanus coronam
meruit passionis sic hic servitium
dei cum paulo apostolo nomine gratulatur quia
abdias servus domini in nostro so-
nat eloquio. Item alius prologus.
Esau filius ysaac frater
iacob vocatus est etiam
edom id est rufus. et seyr.
id est pilosus. Hic posse-
dit regionem que nunc dicitur gebalena.
ubi prius habitaverunt horrei qui interpretantur
liberi. Urbs vero que hebraice
edom et grece ydumea vocatur a no-
mine conditoris vocabulum est palestine.
Cui dicitur per amos. Super tribus sceleribus
edom et super quatuor non convertam eum. Cum ergo